



Syllabus contentorum.

1. Orientii Commonitorium fidelium, cum notis Henr. Leonh. Schurzgleischi.
2. Christ. Gottfr. Stentzelii Liber de aurium blandimentis veris magis quam blandis.
3. Io. Abrah. Birnbaum de natura ac usu studii antiquitatum liber singularis.
4. Io. Christian. Fischeri selecta et rariora Latini purioris monumenta, ubi habentur a) Frid. Gotthilf Marshall dicti Greiff Panegyricus in obitum uxoris Sophiae Eliab. Schwartzpessliae. b) Io. Phil. Steuogtii Progr. de uno studiorum genere seligendo. c) Eiusd. Progr. de hierarchia Romana. d) Christianorum dactylororum et Mbtis. eruta. f) Varia poetica, ut a) Vir. de Hutten Vir bonus. b) Eiusd. Ovis Henr. Aczeri Carmina nonnulla. g) Io. Christ. Fischeri Panegyricus in natalem Frederici III. principis Comentaio de iudicio phrasium filii Romani vulgo neglecto. h) Inscriptio.
5. Io. Henr. Schaeferi Schedion critico-philologicum, in quo genuina indoles linguarum IV. cardinalium, scilicet Germanicae, Latinae, Graecae ac Hebraicae, simulq. neui quidam in vulgaribus praecipis, nec non aliqua compendia doctrinae adhibenda ostenduntur.
6. Georg. Christian. Hallbaueri Diss. de recta linguarum descendendarum ratione.
7. Eiusd. Diss. de scripturae eius origine, natura et variis modis, praecipua per litteras ex ere fusas.
8. Christ. Gottl. Ioecheri Diss. de M. Antonii Triumviri Timone.
9. Sigism. Frid. Dreyfii Comentaio de correctoribus imperii Romani.
10. Io. Christian. Fischeri Diss. de Hubertino clerico Crescentinate, elegantiorum litterarum saeculi XV. in Italia inspiratore.
11. Erhard. Reuschii Diss. de bibliothecis Romanorum.
12. Mich. Lilienfeldi Diss. de philotheci vario, eandem usu et abusu.
13. Io. Henr. Martii Diss. de praecipuis iisdem, antiquioribus litterarum statioribus ac Maccenatis.
14. Sigism. Fritschii Diss. de praecipuis iisdem, recentioribus litterarum statioribus ac Maccenatis.
15. Io. Gottlob Guttlerei Comentaio de lectione monumentorum Graecorum Latinorum, acronastica et eius in primis dignitate.
16. Sigism. Frid. Dreyfii Animadversiones in Fabri thesaurum continuatae.
17. Dan. Guil. Molleri Diss. de S. Aurelio Victore.
18. Eiusd. Diss. de C. Fannio.
19. Io. Gottfr. Hauptmanni Diss. de Atticisms.
20. Io. Georg. Cecardi Censura diplomatis Carolini de scholis Onabrugensis ecclesiae Graecis et Latinis, ab objectionibus Iodoc. Herm. Munningsli vindicata.
21. Sam. Florentis Reuini Diss. de professoribus veteris ecclesiae martyribus.
22. Gottlieb Wernsdorffii Diss. de constitutionum apostolicarum origine, contra Guil. Whistonum.
23. Io. Iust. Spier Diss. quae testimonia patrum V. primorum saeculorum de Pauli apostoli itinere in Hispaniam coniecto labefactantur.
24. Alexand. Politi Oratio de literarum Graecarum necessitate.
25. Adr. Stegeri Diss. de insulis sacrae dignitatis insignibus.
26. Iac. Perizonii Diss. de rebus atque incrementis Prugorum.
27. Io. Frid. Weidleri Diss. de sacramentalibus.
28. Io. Iac. Syrbi Sententia theologorum nigratarum de determinata futurorum contingentium veritate adiecta.
29. Erh. Reuschii Diss. de immutabili naturae lege.
30. Io. Georg. Walchi Diss. de episcopo patre spirituali.
31. Eiusd. Diss. de variis theologiae tradendi methodis.
32. — Historia transsubstantiationis pontificia.
33. — Diss. de formulis salutandi apostolicis.
34. Henr. Klauseggi Diss. de methodo demonstrandi mathematicae, ad res theologicas non applicanda.
35. Frid. Iac. Trenkhari Diss. de eodem argumento.

50.

53

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC
DOMINO,

DN. FRIDERICO AUGUSTO,
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

EX PRUDENTIA MORALI
DE

INVIDIA

PUBLICE DISPUTABUNT
PRÆSES

M. AUGUST. MÜLLER,

MEUROV. SAXO,
ET

RESPONDENS

JOH. GOTTLIEB HAUSNER,

DOEBELA MISNICUS,

HABEB. D. XVI. JUNII, MDCCIII.

H. L. Q. C.

WITTENBERGÆ,

LITERIS JOHANNIS GOTHOFREDI MEYERI,

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS
DOMINO

DE FRIDERICO AUGUSTO

PRINCIPIS REGIO ET SACCARUM HEREDIS

EX PRUDENTIA MORALI

DE

INVIDIA

LIBRICE DISTRIBUTUM

PRÆSES

M. AUGUST. MILLER

MERCO. SAXO.

ET

RESPONDENS

JOH. GOTTLIEB HAUSNER

DOEBELA MISIONS

HAER. D. THE. THEOLOGIC.

H. L. O.

WITTEBERG

FRIDERICO AUGUSTO





§. I.



Nvidorum hominum insidiis qui est
 expositus, is eque de injuria, qua
 insons & præter omnem culpam affici-
 tur, fortisque iniquitate sæpe conqueri-
 tur: in se tamen intuens, ac suæ confisus
 integritati, non despondet animum,
 sed malevolorum judicia contemptu
 vindicat, & sua se virtute solatur. Certo
 enim sibi persuadere potest, & indubitanter credere, rem su-
 am non adeo male habere; cum constet, invidiam virum probum
 sequi, & quod vulgo dicitur, non comitem tantum, sed
 & cotem esse virtutis. Eque alii, ut evitandæ invidiæ cau-
 sa quispiam oculis se hominum ad tempus subducatur, sva-
 dent; nam *in vicino versatur invidia, simplicius longe posita mi-
 ramur*; vid. SENECA, *de Brevitate vitæ, cap. 15.* At vero cum
 nec sic cuilibet consultum esse videatur; sæpe etiam huic in-
 stituto conditio & status ejus, qui ex invidia laborat, maxi-
 mopere repugnet; quid? quod malis quibuscumque immi-
 nentibus cedere, virum fortem vix deceat: hinc potius ope-
 ra est navanda, ut, cum non invidiam, saltem misericordiam
 improborum effugere queamus. Cæterum quo majori ple-
 rumque virtutis laude mactandi sunt illi, quos invidia insequi

& comitari solet: eo gravius versa vice increpantur, quorum animos ita infedit invidia, ut quotidie in actus erumpat. Qua de re ut in presenti paulo fusius ageremus, plures, quam quidem breviter hic exponere licet, nos moverunt rationes. Neque vero rem omnino novam, & nunquam antea tentatam, aggrediemur; est enim invidia vitium antiquissimum, adeoque variis subinde modis expositum & impugnatum. Interim tamen cum succenturiato nonnunquam milite opus sit, qui, si quid deficere videtur, supplementum addat: non plane inanem & frustraneum fore laborem nostrum existimamus. Ut autem divinum Numen conatibus nostris clementissime annuat, est, quod mente supplice & religiosa ab ipso rogamus.

§. II.

Si ortum hujus vocis requiras, non desunt, qui illum a non videndo deducere conantur, cum *invisis* nominemus eos, quos nec aspectu quidem dignamur, SCALIG. de Subtil. 316. Sect. 2. Rectius tamen alii ab *invidendo* derivant, quod verbum dictum est a nimis intuendo fortunam alterius, CIC. III. Tuscul. cap. IX. Ut adeo particula præfixa h. l. non *privatorem*, sed *intensionem* denotet, cum invidi fixo & continuo quasi obrutu aliorum bona soleant aspiciere. Quidam Autores hoc vocabulum quandoque *improprie* accipiunt, pro indignatione, cum quis invidet improbis & indignis honoratis. Quo sensu invidia quædam *justa* ipsis audit. Uti vero istiusmodi acceptio rara admodum & minus frequens est; ita plerumque & *proprie* notat *injustam* invidiam, cum bonis & merentibus invidetur. Reperitur & alia adhuc ambiguitas, cum sæpe usurpatur pro invidentia, ægritudine, qua invidemus aliis; sic C. NEPOS in *Eumene*, t. X. *Invidia*, inquit, *Ducum* - - *Antigono est deditus*. Aliquando vero ab ipsa inviden-

dentia accurate discriminatur, & est, quæ invidetur nobis. Auctor est TULLIUS, qui l. c. ita: *Si sapiens in agritudinem incidere possit, possit etiam in misericordiam, possit in invidentiam. Non dixi, IN INVIDIAM, quæ tum est, cum invidetur.* &c. Illa significatio est hujus loci; cui æquipollet *Livor*, hoc tamen cum discrimine, ut plerumque vehementiori invidiæ imponatur. In nativa enim significatione notat colorem in percusso corpore conspicuum. Cujus similitudinem cum invidi fere referant; pictores quoque invidiæ imaginem livore suffusam repræsentent; hinc tralatitia sumptione *invidia* exprimitur per *livorem*. Non æque per *Odium*. Hoc equidem ambabus manibus largitus fuerim, *invidia* nomen ab Auctoribus probatis quandoque pro *Odio* usurpari; non autem, quantum constat, hoc vicissim pro illo. Ut enim PLUTARCHUS: *Nihil, inquit, videtur ab odio differre invidia, sed idem esse; item; existimamus -- invidere idem esse, quod odisse;* Comment. de *Invidia & odio*: ipse tamen Auctor eodem loco decem suppeditat differentias harum vocum, quas hic repetere non vacat. Taceo nunc reliqua nomina, quæ alias hic, sed frustra, allegantur. In singulis enim aliquid moneri poterat; sed cum rationem instituti nostri hæc excedant, hoc saltem addo, quod nihil unquam sit *difficilius, quam affectuum, habituum & actionum exquisita differentia;* HEIDER, *Phil. Mor. part. II. p. 36.*

§. III.

Hicce igitur levi veluti brachio tactis, quorum sine expositione in subsequentiis haud feliciter progredi licebat: nunc ad id, quod majoris momenti est, properamus. Ac ante omnia quidem rem univèrsam conjunctim repræsentamus, ut vel uno quasi intuitu conspiciatur, quod deinceps figillatim est pertractandum. Non autem dissimulare pos-

sumus, Auctores in exprimenda natura & ratione invidiae admodum variare, atque in partes abire. Cujus diffidii origo, nisi me fallunt omnia, est hæc, quod alii arctioribus eam circumscribant limitibus, alii vicissim eos tranfiliant, & omnia, quæ, in tota sua amplitudine spectata, plerumque annexa habet, simul conjungant & complectantur. Nostrum non est, sententias vel conciliare, vel earum discrepantias indicare. Sufficiat nobis delineasse, quid per invidiam intellectum velimus. *Est vero, proprie & presse loquendo, nihil aliud, quam vitium Morale, quo quis dolet bonis digno alicui contingentibus, non ut sibi ipsi bene sit, sed saltem ne alter bonis fruatur.* Sic breviter quidem, ut decet, descripsimus invidiam; at nunc uberius hæc sunt declaranda, & simul ea, quæ ex alio capite necessaria esse videntur, perlustranda.

§. IV.

Vitium, inquam, invidia est, & quidem vocem si restringas, *Morale*. Deflectit enim à lege congenita, quæ suum cuique non tantum vendicari, sed & sine livore permitti ac relinqui jubet. Rationi quoque quam maxime adversatur, si homo alteri invidet, quod ex divina voluntate & ordinatione ipsi est concessum. Sunt tamen multi, quibus invidia ad classem Affectuum refertur; ita quidem, ut hos deinceps in bonos, malos & indifferenter se habentes distribuant; Confer. F. PICCOLOMINEUS, in *Philosophia de Moribus, Grad. IV. c. 31. p. 335.* At vero cum Affectus, naturaliter spectati, boni, & moraliter considerati, nec boni nec mali rationem sustinere debeant; Invidia autem non ad utrumque indifferenter se habeat, sed ad malum jamjam sit determinata: hinc Affectibus illa intrudi haudquaquam debet, ne hi cum virtutibus & vitiis perperam confundantur. Sic nos do-

docuit Communis noster Præceptor, Excellentissimus
ROEHRENSEE, *Coll. Etb. MSTo Part. II. cap. V. §. 23.*

§. V.

Hoc autem vitium latissime patet, & varios, qui eo sunt inquinati, agnoscit sectatores. Plerumque tamen cadit in eos, qui tenui vel mediocri fruuntur fortuna, improbitatis autem & flagitiorum sordibus abundant. *Si non invideris, major es; nam qui invidet, minor est: scito, quod est invidia dolor ex alienis commodis; scito etiam illud, quod nulli invidet vir bonitate præditus; SENECA, in Prov.* Tantum vero abest, ut instar latentis viperæ non nisi humo serpat; ut potius in sublime etiam tendat, & magnos sæpe viros sua spurcitie contaminet corrumpatque. Id quod tunc in primis contingere solet, ubi aut pares sibi forte, aut superiores conspiciunt. Ipsi tamen magni viri, livori si indulgent, improborum censu neutiquam sunt eximendi, cum bono viro nulla de re invidia nascatur. Consentit nobiscum WENDELINUS, iniquiens: *qui magna subnituntur potentia, omniumque rerum copia abundant, invidia vix tanguntur, nisi sint animi prorsus viles, abjecti & serviles, & supra modum avari, Phil. Mor. lib. I. cap. XXXVI. thes. XXV. p. 1442.* Mirificet tamen, qui eo sunt infecti, dissimulant hoc vitium, & honestiora suæ turpitudini prætendunt vocabula. *Odisse multos fatentur se aliqui, invidere nemini dicunt. --- Invidere se eunt insicias. Quod si coarguantur, mille velamenta prætexunt, & irasci allegant se, vel formidare hominem, vel odisse, invidiamque quovis alio ægritudinis vocabulo obumbrant ac tegunt: quasi sola hæc inter animi ægritudines arcana sit; PLUTARCH. Comm. de invid. & odio.* Adeoque rem ipsam pauci, nomen omnes subterfugiunt, nec scapham dici scapham permittunt.

§. VI.

§. VI. Sic itaque denominatur ab invidia homo, cujus quippe voluntati inprimis, ut reliquorum vitiorum ratio id evincit, hoc malum inhaeret. Equidem ipsum Dæmonem invidia esse infectum, hacque stimulante universo generi humano interitum ac mortem parasse, constat, & vel sacris literis proditum est, Sap. II, 24. Non minus patet, bruta quædam animantia similitudinem aliquam invidiæ præ se ferre. Certe experientia edocemur, canem sæpe cibum appositum, & à se jam repudiatum, alteri tamen cani invidere, & ægre relinquere; adeo, ut dudum, unam domum non duos alere canes, in proverbium abierit. At enimvero sicut vitia aequè ac virtutes, prout habitum animi & speciatim Dæmoni tributa, proprie loquendo non vitium Morale dicit, nec hujus est loci; interim tamen vitii imaginem refert, ejusque eminentiam indicat. Eodem fere modo res se habet cum bestiarum invidia: non accensetur illa morum vitiis; sed, cum bruta voluntate destituantur, instinctum tantum stimulumque naturæ importat. Hinc PLUTARCHUS existimat, rectius dici odium esse inter bestias, quam invidentiam: *bestias, inveniens, invidentia mutua non est laborare probabile. Si quidem non cadit in eas opinio aliam in secundis vel adversis rebus esse: neque movet eas gloria vel infamia, quibus exasperatur inprimis invidia. Oderunt vero inter se, infectæ sunt, & persequuntur bello nonnullas velut infidas &c. Comm. de invid. & odio.*

§. VII. Occupatur vero invidia, si intrinsecus eam spectes, circum dolorem, cujus etiam in Definitione nostra mentionem injecimus. In his tamen similibusque, cum circa alia vitia idem

idem appareat, non diu moramur, sed prima saltem linea ducta manum promovemus. Majoris necessitatis lege obligamur quærendi, ad quosnam tendat transeatque invidia, seu, ut ore magis rotundo loquamur, quodnam sit *Objectum Externum* idque *Personale* invidentiæ? ubi quidem divortia sententiarum deprehendas, cum alii dignos & merentes, alii contra indignos invidiæ esse expositos dicent. Sed existimamus, posse eos facile conciliari, ita quidem, ut statuamus, versari invidiam circa eos, qui revera digni, ex judicio autem invidentium indigni sunt bonis istis contingentibus. Vere indigni non sint; quapropter multi frustra & male de invidia, qua premanentur, conqveruntur, qui tamen nullis plane meritis se tuentur, sed bona scelere & fraude parva possident tenentque. Hos enim non tam invidia, quam indignatio, si accurate loquendum sit, manet. Quod autem dignos hoc malum premat, in aprico est positum. *Ut enim cant barides potissimum adultum frumentum & adultas rosas invadunt: ita invidia precipue probatos ac virtute incalescentes invidet & personas appetit; PLUTARCH. in Moral. Comment. de invid. & od.* Non tamen omnes promiscue virtutis sectatores respicit, sed speciatim ad aliquos; (ut Auctorum observavit experientia) restringitur & coarctatur. Sic cum ad superiores tendit invidia, eos potissimum infestat, qui magni quidem, non tamen maximi existunt. Nam *rerum secundarum amplitudo & splendor sepe invidiam opprimit.* Neque enim *Alexandro vel Cyro credibile est rerum potitis & omnium dominium sortitis quæquam invidisse: sed quomodo sol, quando caput nostro imminet, demittens lucem umbram vel semel tollit, vel remittens reddit: haud aliter ubi claræ est in celsitudinem felicitas ingentem; & caput superavit invidia, contrahitur hæc ac recedit, & lucens.* ID. *ibid.* In primis vero in illos, quæ ejusdem sunt or-

-216v

B

dinis

dinis & conditionis, ejusdem cognationis, ejusdem denique ignis & aquæ, sævire invidia solet. Nota sunt, & in omnium versantur ore dicta: *Figulus figulo invidet; Faber fabro; Mendicus mendico; Cantor cantori: Cognatio movet invidiam; invidus vicini oculus;* & plura, quæ invidiæ expositos characteribus quasi insignant describuntque. Utrum etiam ad inferiores se demittat invidia, poterat quæri. Quæ tamen res nos dubitare non sinit, si quidem per illos tales intelligas, qui proximo fortis gradu nos attingunt, adeoque periculum, æquandi nos, concitant. Nescio, an ejusmodi periculum timeant nonnulli Præceptores, ad id obligati, ut juventutem fideliter instituunt, sibi tamen melioris methodi arcana reservantes. Confer. BOTSACCI *Moral.* sub voce *DILIGENTIA* p. 300. b. Sic invidia, quocumque dispiciat, semper invenit, quos invadat; & viventium, modo virtutem sectetur, vix uni alterive parcit. Miror tamen, mortuos ab ejus telis immunes fere & tutos esse. Hoc enim asserit Naso, Poëta: *Scripta placent à morte ferè: quia ladere vivos Livor, & invisò carpere dente solet.* III. de Pont. 4. Et alibi clarius: *Pascitur in vidis livor, post fata quiescit;* Tunc suus ex merito quemque tuetur honos. I. Amor. 15. Atque hic exempla valde opportuna omnis suppedicaret historia, si eam excutere vellemus: præstat tamen abstinuisse dictis, ubi res ipsa loquitur, veritatemque confirmat.

§. IIX.

Ecquid vero est, quod invidorum oculos torquet & in se fleat? Sunt *Bona* aliena, quorum intuitu & præsentia, magnitudine & splendore cruciantur. Hinc Publius quidam, cum Mutium, hominem invidum, solito tristiores vidis-

vidisset: *Aur*, inquit, *Muria* nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid mali; MACROB. *lib. I. Saturn. cap. 2.* Si enim in animi bona, (quæ maxima sunt) feruntur; valde anguntur donis, quibus larga Numinis beneficentia homines cumulavit. Qui alteri præstat ingenio, doctrina, experientia & arte: is propter hæc bona illius est expositus livori. Sicut enim *Ophtalmia* splendidis rebus offenditur; sic invidi splendidis Dei donis offenduntur & excruciantur; BOTSACC. *Moral. p. 480.* In primis autem circa virtutem, quæ summum animi bonum est, invidorum oculi vix unquam se fatigant. *Invident maxime illis, quos florere potissimum ex virtute putant. Ita juvenis etiamnum Themistocles nihil agere dixit se præclari. Nondum enim invidia laborare;* PLUTARCH. *Comm. de invid. & od.* Cumque ex virtute de præstantia & dignitate hominum potissimum soleat judicari; hinc est, quod, qui hoc bono sunt præditi, omnium maxime invidiæ tyrannidem experiantur. Virtutis arduum iter est; ab utraque enim parte vitia, velut hostes ipsius, nobis mortem minitantur, periculumque est, ne, dum à Charybdi deflectimus, in Scyllam prolabamur. Post virtutem sequitur, instar malignæ pedissequæ, invidia: & quo acrius cursui recto insistamus, eo impensius nos invidiæ injuria persequitur. Atque adeo infestum nobis & inimicum est malum, ut ne quidem oblati pacis conditionibus, beneficiis, muneribus & donis placari queat. Liceat hanc in rem iterum PLUTARCHUM nostrum adducere, qui *l. c. ita: illis, qui boni habentur, invident impensius; quod scilicet maximum bonum, virtutem, obtineant. Quod si beneficium à fortunatis acceperint, anguntur, invidentes eis tum voluntatem, tum facultatem. Si quidem est hæc felicitatis, illa virtutis, bona autem utraqve.* Nec omnino parci invidia corporis doribus, sed & hic invenit, quod iniquo rodat dente.

Agilitatem alterius æquo animo ferre non vult saltator; pulchritudinem sui æqualium sexus inprimis seqvior torvis aspicit oculis. Non diutius hisce inhærebo; sed, quæ tandem fortunæ bona invidos male habeant, paucissimis nunc attingam. Rerum enim hic expediendarum copia ita opprimit me, ut laborem omnino exasciatum protrudere haud possim. Quod si igitur dicenda ad summam redigam, omnia illa invidiæ sunt exposita, quæ vulgo felicitatis nomine comprehenduntur. Hæc enim illud lumen est, quod invidiam velut fumum emittit. Qui pecunia, fundis, supellectili, pecoribus, & aliis rebus, quæ ad divitias referuntur, abundat; is simul abundat & premitur aliorum invidia. Honoratis invident iniqui; & gloriam velut umbra comitatur invidia. Si quis bona fama & amicis gaudet; ille vicissim invidis vehementer dolebit. Ergo soli fere miseriæ parcit invidia; & sinistra fortuna mitigatur. Usque adeo horrendum & portentosum est crimen, ut bonis alienis doleat, malis vero & calamitatibus tranqvilletur!

§. IX.

Hinc circa hæc, quæ ante nominabam, Bona ita versatur invidia, ut, dolendo de illis, à modo deflectat, & speciatim excedendo peccet. Media enim via incedendum erat per Indignationem, quæ dolemus solum ob commoda indignis competentia; quippe quæ, cæteris paribus, non est improbanda. Deficiunt contra à mediocritate, & parum faciendo criminis inculantur, qui nullius plane commodis & felicitatibus dolent. Quamvis non diffiteamur, hoc vitium admodum esse infreqvens, & vix proprio nomine posse compellari. Cæterum in his distingvendis & ordinandis facem nobis quodammodo prætulit F. PICCOLOMINEUS, in *Philosophia de Moribus, Grad. IV. cap. XXXI. p. 334.*

§. X.

§. X.

Redeamus ad id, unde paulatim discessum erat. Quapropter si nunc inquiramus, quidnam intendat sibi que præmii polliceatur invidus; tunc ex data descriptione dicendum est, ipsum non suam ipsiusmet utilitatem respicere, sed contentum esse velle, modo alter bonis non fruatur. Res illustrari solet exemplo de quodam Rege, qui concessit cuidam avaro, & cuidam invidio munus quod eligerent, ita tamen, quod munus ejus qui posterior peteret, duplicaretur. Et cum uterque differret, præcepit Rex invidio, ut prius peteret: qui petiit, ut erueretur sibi unus oculus, volens quod proximo eruerentur ambo. Noluit petere aliquod bonum, ne proximus ejus acciperet duplicatum; vid. GVIL. PERALDI Summæ virtutum ac vitiorum, Tom. II. pag. 281. Tantæ perversitatis est hoc vitium, ut ne quidem commune cum aliis velit habere bonum, quod tamen ex communi cum aliis possessione, majori lumine & pulchritudine splendet! Et cum omnis Finis, saltem respectu appetentis, aliquid boni involvat; invidus contra, tum suæ tum aliorum felicitatis osor, stolido consilio & temeraria cupidine in mala propendit. Sic ergo mentem suam *stultitia imbuat: vult enim sibi unum oculum erui, ut proximo etiam oculus eruatur; quo quidem voto quid stultius est?* ut egregie hac de re commentatur JO. BOTS. in *Moral.* Nolit autem quisquam existimare, invidos promiscue, & quidem prima facie suum ipsiusmet damnum intendere; siquidem tum demum, ubi a liter aliorum bonis nil detrahi potest, proprium apperunt detrimentum. Imo nec semper, præsertim si ipsis familiares sint & domestici, diram & extremam horum miseriam exoptant: quippe fatis sæpe ipsis est, modo felicitate alii ne emineant. Idem asserit, quem sæpius jam allegavi, PLUTARCHUS: *Multos, in-quiens, ex sodalibus suis & familiaribus non velint invidi perditos*

vel afflictos; tantum res eorum letas moleste ferunt, obſiſtuntque, ſi
queant, eorum gloria ac ſplendori: calamitatis vero durioris non
ſint eis Auctores; ibid. Ut verbo me explicem: quemadmo-
dum ſupra vidimus, invidiam parcere miſericordie, atque iis, qui
adverſa conflictantur fortuna: ita nec eorum, qui florenti-
bus adhuc rebus fruuntur, extremam & ultimam intendit
calamitatem.

S. XI.

Ex radice mala vitioſus frutex pullulat, fructusque noci-
vi poſt hinc decerpuntur: ita invidia, peſſimum vitium, de-
teſtabilem & abominandum edit effectum. Eſt enim invi-
dus (ut vel natura nos edocet) adverſarius divinæ bonitati,
ipſique inepto plane conamine contrariatur. Cum enim
Deus bona ſua cum hominibus communicet, & beneficiis
nos quotidie cumulet: invidus e contrario hanc Numinis
benignitatem aliis vult ademtram, adeoque ejus iram in ſe
ſuo nefando ſcelere provocat. Eſt & invidus in ſe ipſum in-
jurius, & corpori æque ac animæ infert detrimentum. Pla-
cer hac de re loquentes, & invidiæ imaginem exprimentes
audire Poëtas; VENUSINUM, lib. I. *Epist.* 2.

Invidus alterius macreſcit rebus opimis.

Invidia Siculi non invenere Tyranni

Majus tormentum: Et NASONEM, II. Metamorph. v. 775.

ſqq.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto:

Nusquam recta acies: livent rubigine dentes:

Pectora felle virent: lingua eſt ſuſſuſa veneno:

Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores:

Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis.

Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo

Successus hominum, carpitque & carpitur una,

Suppli-

Suppliciumque suum est. Hinc invidia variis rebus, quæ ipsis habentibus noxæ sunt, solet comparari: v.g. ærugini, ferrum consumenti; tineis vestes, & teredini lignum corrumpentibus; viperis, matrum ventres lacerantibus, &c. Comparantur etiam invidi furiosis. Quemadmodum enim furiosus in se suum convertere gladium affolet: sic invidi sibi ipsis maxime nocent; BOTS. Mor. Hinc non minus vere, quam acute PERALDUS: invidi, inquit, adeo sunt infelices, quod ipsi amittunt, etiam ubi alii lucrantur: ipsi de sanitate aliorum infirmantur, & de vita moriuntur. Et sicut diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ita invidis omnia cooperantur in malum; Summ. virt. & vit. Tom. II. tract. 7. p. 280. Sic sibi met ipsi invidus supplicium decernit, & livoris proprii semper à se exigit penas. Qui vero sibi ipsi adeo inimicus est; is multo minus alios debito amoris officio prosequetur. Et sane invidia est, secundum veteres, toxicum charitatis, & ostium iniquitatis. Ubi quis semel invidiæ locum reliquerit, ille magis magisque ad scelera, aliis nociva, solet incendi. Nam invidia hominem incendit, & disponit ad odium & contentionem, unde, si non homicidium oritur, sequitur tamen cupiditas & desiderium, ut alter -- e medio quovis modo tollatur; DÜRRIUS, Comp. Theol. Mor. Sect. IV. c. 13. §. 2. Eandem in sententiam redit ECKHARDUS, qui damnum, ex invidia in alios redundans, hoc modo describit: invidus longe posthabita Christiana charitatis lege proximi dona extenuat, honestis conatibus quovis modo obstat, felicibus ingeniis omnem emergendi viam obsepit, multos tumultus & similitates concitat, Reipublica & Ecclesie fulcra subvertere nihil pensi habet; Ethic. Christian. Sect. II. cap. V. pag. 283.

Sic itaque, quæ ad invidiæ explicationem omnino sunt necessaria, breviter adduximus. Constitutum apud animum

num erat, ertere nunc exinde vivendi regulas de evitando hoc vitio; adducere argumenta, quæ aliquem ab illo abstrahere poterant; ostendere modum, quæ ratione abstinendum; suppeditare consilia; & denique remove, quæ obstant recteceptis, impedimenta. Verum enim vero cum præter omnem opinionem spatium nobis sit ereptum; res quoque ex jam dictis ultro dispalescat, & sine ulla difficultate expediri possit: hinc veniam me apud quenquam impetraturum plane confido, licet re non omnino confecta discedam. Præstitit quoque, præter alios, hanc operam, & gravissimis detestationibus invidiam perstringit GVIL. PERALD. in *Summ. virt. ac vit. tom. II. tract. 7.* Ne tamen plane sine symbolo discedamus, vel tribus verbis rem complectimur, & quæ huc pertinent, in compendium mittimus. Ut ergo aliis minus in videas, cogita, injurium esse in benignitatem Dei eum, qui, quod hæc aliis est largita, torvis oculis intueretur. Consideres quæso, invidum amore proximi periclitari, imo jam naufragium ejus fecisse. Animo perpendas damna & detrimenta, quæ exinde in te redundant. Invidiæ denique ipsius turpitudine quemvis ad sui fugam hortatur, cum scèdus à sapientibus nullum unquam vitium depingatur. Hæc uberiùs exponi poterant; sed necessitate jubente desistimus. Et quemadmodum optamus, ne quispiam pessimo hoc vitio polluatur: ita simul cum Socratis voto hic finem facimus: *Utinam invidi in omnibus civitatibus aures vel oculos haberent, ut de omnibus profectibus torquerentur!*

SOLI DEO GLORIA.

AB 154893

AB: 154893

ULB Halle 3
003 313 859




81

VD17







50.

53

Q. D. B. P.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC
DOMINO,

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

EX PRUDENTIA MORALI

DE

INVIDIA

PUBLICE DISPUTABUNT
PRÆSES

M. AUGUST. MÜLLER,

MEUROV. SAXO,
ET

RESPONDENS

JOH. GOTTLIEB HAUSNER,

DOEBELA MISNICUS,

HABEB. D. XVI. JUNII, MDCCIII.

H. L. Q. C.

WITTENBERGÆ,

LITERIS JOHANNIS GOTHOFREDI MEYERI,

